DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

DYSENTERIA

ANNI MDCCXXVI EPIDEMICA

QVAM

PROPITIO NVMINE DIVINO

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE ET h. t. DECANO

PRO LICENTIA

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS.


AD. D. FEBR. A. R. S. MDCCXXVII.

ſolenni eruditorum examini ſiſtet

AVCTOR ET RESPONDENS

IOANNES CHRISTOPHORVS MARGGRAFF.

DORNBVRGO - VINARIENSIS.



HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis IO. CHRISTIANI HILLIGERI Acad. Typ.




DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA.

DE

DYSENTERIA

ANNI MDCCXXVI. EPIDEMICA

PROOEMIUM.



Nter eas, quas Hippocrates indefeſſus æque ac feliciſſimus Naturæ ſcrutator veritates reliquit, non minorem ſane merentur attentionem, quæ in Aphoriſmor. Libr. III. aphoriſmo III. annotatæ leguntur. Ibi enim graviſſimus ſenex experientiæ ſuffragio fultus perſpicue cauſſas illas edocet, quæ pro ſua diverſitate diverſa etiam morborum ſchemata & ſymptomata inducere, iisque affectum, vel benigniorem, vel deteriorem, reddere poſſunt. Verba ſunt: *τῶν νούσων ἄλλαι πρὸς ἄλλας εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι; καὶ ἡλικίαι τινὲς πρὸς ὥρας, καὶ χώρας, καὶ διαίτας*: Quæ quidem

Heur-

Heurnius ita interpretatur, ut qui ſub illis lateat ſenſus, minus perſpicue inclareſcat; vertit enim: morborum alii & ætates aliæ facile aut ægre ſunt comparatæ ad alia tempora & regiones & ætates. Rectius autem pro ſimplici verborum ſignificatu & conſtructione ita vertuntur: morborum alii erga alios bene vel male ſe habent & ætates quædam (ſcilicet ἔυ ἤ κακῶς πεφύκασι) (bene vel male ſe habent) ad tempora regiones & diætas. Atque ex his non tantum ſenſum verborum eluceſcere, ſed etiam multa paucis dicta eſſe animadvertimus, ſi quidem Hippocraticam in dicendo brevitatem & aphoriſticum ſcripturæ genus conſideremus. Idem enim eſt quaſi dixiſſet: morbi non modo inter ſe comparati, vel benigniores vel maligniores exiſtunt, ſed etiam ætates quædam, vel commodius, vel ægrius, morbos ferunt pro temporum varietate, regionum diverſo ſitu & diætarum congruo vel incongruo uſu. Quod aſſertum adeo veritati amicum eſt, ut ab antiquis illis ſeculis ad noſtra usque tempora fuerit confirmatum. Quid enim in ægrotorum curatione frequentius? quam morbos experiri diverſos pro ætatis, ſubiecti, regionum, tempeſtatum, & diætæ diverſa ratione, quæ omnia ut in ſe diverſa. ita & diverſa morborum ſchemata accelerare obſervantur. Et hoc aſſertum non ſolum in genere de morbis valet, ſed de ſingulo etiam morboſo adfectu ſpeciatim fere prædicare poſſumus, illum per rerum modo dictarum diverſam conditionem reddi vel mitiorem, vel magis exacerbatum. Non fert autem inſtituti ratio, ut de his fuſius

expo-

exponamus, sufficiet assertionem nostram confirmare per dysenteriam anno præterito epidemice grassantem. Nam & hæc, testantibus viris praxi celeberrimis, pro diversa naturarum, ætatis, tempestatum & diætæ conditione, diversa plane schemata manifestavit. Eam ob causam non inutile fore judicavi, hoc thema in Dissertatione hac inaugurali evolvere, eaque cum publico communicare, quæ partim ex aliorum, partim propria experientia in patria præsertim, ubi tunc temporis degere contigit, de dysenteriæ diversitate observavi, quæ licet non sint ad curiosæ novitatis palatum, erunt tamen in historiæ morborum practicæ, cui hunc qualemcunque laborem potissimum dicavi, proficuum supplementum. Et ut hunc finem attingagamus, adsit nobis humillime voveo Numen supremum.

§. I.

QVæ de dysenteria benigniore & minus maligna passim annotata sunt, videlicet differentiæ, signa diagnostica atque prognostica, caussæ vulgatæ & reliqua, illa hic prætermittenda per compendii rationem iudicamus, & ut mox illucescat, quam longe epidemica nostra atque maligna dysenteria, a benignioribus illis sanguinis fluxionibus differat, illam describimus quod fuerit.

§. II.

Fluxus alvi valde torminosus, & dejectione

materiæ acris, biliosæ, rosivæ, in aliis satis copiosæ, in aliis, iisque plurimis, parcissimæ, vel plane mucidæ ulcerosæ, vel paucis striis cruentis notatæ, vel omnino cruentæ conspicuus, adfligente tenesmodeo dolore, torsione acri circa ani exitum morsicante, epidemicus quidem & ex parte satis benignus, ex parte vero accedentibus febribus iam hæmitritæis ac quartanis, iam acutis, satis etiam in multis locis malignus, ad eliminationem maligni miasmatis, partim in intestinis, partim in massa sanguinea obvii, a natura destinatus.

§. III.

Diversimode ergo dysenteria se gessit, non enim in omnes æque benigna & maligna, nec etiam pari malignitate in omnes extitit, sed epidemice quidem agrorum & urbium varia loca occupans, multa tamen egit lenitate, ut ex magno decumbentium numero, minima saltem pars deleteriam eius vim passa fuerit. Accidit & hoc, quod sæpissime fieri solet, ut ex incauta, imo empirica huius mali tractatione, ubi ad opiata, adstringentia & alia noxia & periculosa eiusdem generis remedia, tanquam ad sacram anchoram properarunt, & ex pernicie ipsis insciis salutem quæsiverunt, vel magis ex corporis plethorici, cacochymici, labe quadam interna infecti prava constitutione, quam solius dysenteriæ noxa, multi sint mortui.

§. IV.

Satis malignum vero aliarum regionum tractibus sese præbuit hic adfectus, inque malignitatis gradu diversus aliis locis & aliis individuis malignior

gnior ac aliis fuit, ita ut quibusdam, præter summos huic affectui quasi proprios cruciatus, febris intermittens & hæmitritæa vel quartana sociata fuerit, perspicuo satis testimonio, miasma contagiosum epidemicum non modo in primis ita dictis viis hæsisse, sed internis sanguineæ massæ iam fuisse communicatum, aliis vero acuta cum inflammatoria febris accessit & summe iam periclitantem vitæ statum reddidit graviorem, quid? quod postea gravissima tandem tormina miseros ægros sine mora iugulaverunt.

§. V.

Tres ergo commode anni præteriti dysenteria constituit classes. Prior maiorem ægrotorum numerum continens fuit epidemica quidem, sed admodum benigna, ut quidam ægrotorum, in hac etiam urbe & suburbiis, non semper in lecto detineri debuerint. Licet vero periculum ex hac dysenteriæ specie haud metuendum fuit, interim tamen improvidus remediorum usus & continentia neglecta in statum periculosum eam transtulerunt. Altera minus maligna appellari potest; malignatum propter febris intermittentis hæmitritæi vel quartanæ complicationem, quæ miasma humoribus iam insinuatum esse denotat, & symptomatum exacerbationem, tum etiam propter miasmatis contagiosi in alia subiecta faciliorem propagationem; minus vero maligna, quia non æque cnntagiosa ac posterior fuit & maior ægrotorum numerus sub debito regimine & dextro remediorum usu inde evasit. Tertia malignam κατ᾽ ἐξοχὴν ita dicendam includit, hæc febre acuta

seu

ſeu inflammatoria, vel propter inteſtinorum inflammationem, vel miasmatis ſubtilioris orgaſtici humoribus communicati complicationem, accedente, ſtipata fuit. Titulo enim ſuo ſatis dignam ſe geſſit, non modo ſymptomatum quod attinet ferociam, ſed contagii etiam ſummum gradum, ſubitaneum in aliis progreſſum & lethalem plurimorum eo correptorum eventum.

§. VI.

Vtraque vero, & minus maligna, & ea, quam κατ ἐξοχὴν malignam appellavimus, ſtatim ab initio ſumma virium proſtratione & appetitu plane deiecto, mox torminibus & cruciatibus in abdomine ſenſibiliſſimis, cum anxietate præcordiorum & inſignibus cardialgicis afflictionibus, nec non vomendi conatibus, raro vero in actuales vomitus erumpentibus, ſeſe manifeſtabat. Teneſmus, intercurſantibus horripilationibus vagis & phlogoſibus, accedebat, & deſidendi frequentiori conatu adeo vexabantur patientes, ut quadrageſies vel quinquageſies de die vix huic moleſtiſſimo excernendi ſtimulo ſatisfacerent, & ultra etiam hunc numerum deſidere cogerentur, materiam primo mucoſam, poſt ſanguine paululum tinctam, deinde carneam (gleich als geſchabt Fleiſch) tandem ſanguinem ſincerum excernendo. Interdum etiam ſpecies quædam fluxus hepatici dyſenteriæ vices explere videbatur, dum materiam flavam, brunam, ſeu loturæ inſtar carnium, ad 30. vices inter diem & noctem per aliquot ſæpe ſeptimanas excretam reddiderunt. Cuius rei exemplum in patria verſanti mihi obtigit, ubi vir ſatis robuſtus per

ſeptem

ſeptem ſeptimanas eiusmodi alvino fluxui obnoxius tandem convaluit.

§. VII.

Non ad minora vero huius dyſenteriæ momenta pertinere videtur, quod contra tempus conſuetum, menſe ſcilicet Junio, ineunte ergo æſtate, in his iam locis increbuerit, cum Auguſti & Septembris menſibus ordinarie graſſari obſervetur; hinc vulgares illæ cauſſæ ex fructuum horræorum inconſiderato uſu, vel nimia eorum ingurgitatione petitæ, locum invenire haud poſſunt. Ratio enim dyſentericæ graſſationis in promtu eſt, quando fructus vel nondum perfecte maturi, vel etiam maturi, ſucco tamen facile fermentante præditi, inter quos pruna præſertim flava dulcia & mala perſica eminent, ieiuno tempore comeduntur, aut magna copia ingeruntur, ſiquidem ingeſti & primam in ventriculo concoctionem perpeſſi, inque duodeno ſubtilius reſoluti, fermentativam indolem acquirunt, accedente inſuper bilis affuſione, qua acriores facti, nerveas inteſtinorum præcipue tenuium exquiſite ſenſibiles tunicas moleſte ſtimulant, unde ſpaſmi, tormina aliaque ſymptomata provocantur.

§. VIII.

Iam vero conſtat, eo tempore, quo in his locis dyſenteria graſſari cœpit, fructus nec tum ex flore editos fuiſſe, hinc ne immaturos quidem, tantum abeſt magna copia, ingeri potuiſſe, aliis ergo cauſſis dyſenteriam provocandi æque capacibus, ac fructus ſunt immaturi, vel magna copia ingeſti, hanc

ortum suum debere certum est. Quotidiana enim testatur experientia, non singulis annis dysenteriam hominum genus in singulis regionum tractibus affligere, licet multa fructuum omnis generis copia abundant, hinc illis solis caussam tribuere rationi haud convenire videtur. Cognitum vero satis est, æstivo tempore, cerevisias communiter male constitutas esse, vel recentes, impuras, crassas & multis fecibus refertas, vel si ipsam aciditatem nondum contraxerint, ad minimum acescentes, sitis, quæ tunc temporis plus urget ac alio, strenuam illius ingestionem necessitat, præsertim in hominibus activis, laboriosis, agrum colentibus vel alia negotia laboriosa exercentibus, replentur ergo & onerantur primæ viæ variis impuritatibus acescentibus & fermentabilibus, quæ, ut in actum, deducantur, expectant caussam procatarcticam, qualis est post exæstuationem, liberior auræ frigidæ admissio, quando vespertino præcipue tempore, sub diluculo, corpus laboribus defatigatum & denudatum, vel lenissime tectum, auræ eiusmodi exponunt, & sic non raro dysenteriæ fomitem immo occasionem suppeditant.

§. IX.

Non raro etiam specialis quædam labes principiorum impurorum salinorum causticorum, mixtioni animali valde noxiorum fructibus, aliisque vegetabilibus edulibus insinuatur, quibus si deinde vescuntur homines, vel etiam animalia bruta ingerunt eiusmodi principia, malignitate sua noxam & solidis & fluidis inferunt varioque modo œcono-

no-

nomiam vitalem turbant, ut hac ratione morbosus dysenteriæ affectus facile inducatur. Hinc oriuntur quoque diræ illæ brutorum strages non admodum raræ, quæ ex herbarum infectarum esu contingunt.

§. X.

Ortum vero eius contagii quod attinet, multi iique plurimi illud plantis, herbis ac arborum foliis ex rore communicari putant, unde nomen germanicum Mehl-Thau; alii terræ effluvia huius roris verminosi caussam accusant, alii vero ex ipsis plantis hoc contagii genus transudare existimant; quæ quidem sententiæ utroque modo disputari possunt, prior vero mihi duabus posterioribus videtur infirmior, cum eiusmodi ros verminosus vere ex aere descendens, omnino non inferioribus sed superioribus herbarum & foliorum partibus adhæreret. Est vero hic ros summæ noxiæ indolis, insecta enim in sua substantia principium salis caustici, acris corrosivi continent, hinc etiam exigui illi vermiculi, qui in rore descendere creduntur, principio eodem præditi, si cum fructibus vel aliis herbis edulibus intra corpus assumuntur, caustico illo principio partes viscerum vitalium, quas contingunt, stimulant, rodunt, vellicant, & sic affluxum seri acris ex glandulis intestinorum transudantis provocant, qua unita vi demum diarrhææ ac tandem dysenteriæ invadendæ caussa suppeditatur.

§. XI.

His vero caussis in epidemica mali invasione iungitur adhuc alia multo insignior, sine qua re-

censitæ iam caussæ vix tam efficaces sunt, ut epidemicum contagium inferre queant. Contingit enim aliquando, ut malum hoc funeste satis sævire observetur, cum tamen nec fructus, nec cerevisiarum mala constitutio, nec etiam specifica labes inculpari possint. Caussam ergo in solis ingestis, licet non excludenda sunt, haud esse ponendam, ipsa res loquitur, singulis enim fere annis hic affectus extimescendus foret; unde cerevisiæ male coctæ & haustæ, fructus horrei vel immaturi, vel nimia, quam par est, copia ingesti, labes specifica ex rore noxio communicata, suppeditant mali huius fomitem, qui ab aliis accidentibus ita disponitur, ut inde malum dysentericum nascatur.

§. XII.

Insigniorem autem hancce caussam, ipsum iam Hippocratem in suis Aphorismis annotasse legimus. Is enim libro III. aphor. quidem XI. perspicuis verbis varias tempestatum mutationes dysenterias non modo invitare, sed necessitare etiam edisserit, imo de huius rei certitudine adeo persuasus est, ut conspectum earum tempestatum depingere haud dubitet. Eius vero verba hæc sunt: περι δε τῶν ὡρέων &c. &c. Tempestates quod attinet, post hiemem siccam & aquiloneam, si ver pluviosum & austrinum fuerit, æstate necesse est, febres acutas & ophthalmias & dysenterias fieri, quæ tanta animi constantia dicta sunt, ut merito dubii reddamur num hac sola experientia anne arte etiam magistra perspicacissimus senex ita adfirmaverit. Rationem a priori scrutantes, non errare videmus, cum

mul-

multis doctis asserendo, mutationes tempestatum magnam vim in animale corpus exercere, ita ut pro alteratione tempestatum, corpus etiam diversimode alteretur. Si ergo per hyemem siccam & aquiloneam fibræ strictiores & rigidiores factæ, non modo multis excernendis impuritatibus exitum præcludunt, sed & per pluviosum & austrinum ver relaxatæ, per apertos cutis poros varias ex atmosphæra impuritates magna copia intra corpus assumunt, æstate deinde calida & sicca insequente, hæ impuritates iterum expanduntur, aliosque dispositos humores simul in fermentativam indolem abripiunt, cui caussæ προηγȣμένη, si quædam procatarctica iungitur, facile inde emergit malum dysentericum. A posteriori hæc observatio, licet magna inter Hippocratis & nostrum clima intercedit differentia, apte tamen ad temporum, quæ nostram dysenteriam præcesserunt, conditionem applicari potest, fuit enim hyems sicca & aquilonea, ver pluviosum & austrinum, & dysenteriam multi omnino funestam experti sunt.

§. XIII.

Si ergo tempestatis frigidæ & calidæ, siccæ & humidæ, varie quidem, simpliciter tamen mutatæ, tanta est vis, ut sanitatis optimum in pessimum transmutare statum possit, quidni poterit miasmate specifico, contagioso, quale est dysentericum referta, præcipue illis caussis, quarum nunc mentionem iniecimus, ipsi iunctis? quæ unita vis, omnibus illis adminiculis instructa est, quibus malum epidemicum generari & foveri potest.

§. XIV.

Optimo igitur iure ex his inferre licet, plures omnino adfuisse caussas, quæ dysenteriam hoc anno grassantem, licet extra consuetum tempus, conspicuam invitarunt. Tempestates enim dysenteriæ ortum antecedentes, fuerunt tales, quales vi aphorismi Hippocratici esse debent, quæ, ut cum auctore loquar, dysenterias necessitant. Deinde æstas insequens fuit sicca & fervida, aquas in fontibus & stagnis putridas & cerevisias, iam iuniores & male defœcatas acescentes reddere, quas æstu insigni existente, ad sitim extinguendam avide hauserunt ruricolæ, aliique inferioris, quandoque etiam eminentioris sortis homines, in quibus malum generatum & ad alios deportatum est. Porro in quibusdam regionum plagis rorem eiusmodi noxium observatum esse constat. Demum atmosphæræ qualitatem contagiosam ad mali huius epidemicam grassationem plurimum contribuisse, ipsius insultus, progressus & eventus attestatur, quæ pluribus persequi instituti ratio prohibet, his tantum addo, quod in atmosphæra tali contagiosa aer refertus sit principiis specificis fermentationi suscitandæ idoneis, quæ sub inspiratione admissa, & humoribus innidulata, fermentativa sua indole eos alterare incipiunt, hinc œconomiæ vitali valde inimica sero humorum superfluo involvuntur & instituta per glandulas intestinorum secretione, per alvum excernuntur, ante excretionem vero propter alvinarum impuritatum & bilis præprimis excrementitiæ admixtionem, acrem & causticam illam acquirunt indolem, qua sensibiles admodum inte-

intestinorum tunicas exquisitis doloribus vellicare percipiuntur.

§. XV.

Communiter vero malum hoc locis & regionibus planis gravius existit, quemadmodum etiam observationes Jenæ eiusque locis vicinis factæ dysenteriam 1717. & 19. plagarum campestrium incolis magis infestam fuisse tradunt. Ratio quæ allegari solet, est, quod atmosphæræ impuritates in planitie non æque ac in celsioribus locis aeris liberioris transitu & ventorum multiplicato spiramine dissipari & removeri possint. Notatu vero dignum est, præterito anno dysenteriam etiam in his locis aliam se gessisse, ac aliis temporibus, quæ enim campestres regiones dysenteriæ prioribus annis valde obnoxiæ visæ sunt, anno præterito ab eadem fere immunes extiterunt, contra ea, celsiores tractus prioribus annis a dysenteria fere immunes, præterito anno eidem obnoxii observati sunt. Contradictionem hæc involvere videntur, conciliari autem inter se arbitror; si enim verum est, aeri inesse, eoque inspirari contagium epidemicum & pro varia ventorum natura atmosphæræ insinuari, veritati etiam non contraria hæc ratio, qua asserimus, contagium anni præteriti epidemicum, ventis fuisse adductum & magis celsioribus, utpote ventorum flatibus admodum expositis, quam campestribus regionibus eorum insultui non ita subiectis, fuisse insinuatum.

§. XVI.

Ipsam vero dysenteriam quod attinet, in genere

nere notandum eſt, quod urbem hanc & ſuburbia concernit, epidemicam quidem, ſed ſatis benignam fuiſſe, aliis vero in noſtra vicinia locis extitiſſe maligniorem & periculoſiorem. Quanquam vero nobis benignior fuerit, per malum tamen regimen & empiricas medicationes, indoli adfectus admodnm contrarias, maligna utique facta eſt, febrilibus commotionibus, imo acuta febre, inſignis, qua tandem ægri mortui ſunt. Deinde qui Medici vel potius Empirici hunc morbum præpoſtere tractantes adſtringentibus, facta nulla decenti miaſmatis acrioris per congrua remedia alteratione & neglecta debita abſterſione, ſalutaribus harum impuritatum excretionibus ſeſe oppoſuerunt, vel graviſſimam partium inflammationem arceſſerunt, vel ſub optimo empiriæ ſucceſſu, malum cum graviſſimis præcordiorum anxietatibus & maioribus teneſinodeis afflictionibus auctum. Tum potus frigidus in genere ſumme noxius fuit, inprimis cereviſia, quæ calida etiam maiores anxietates & dolores ac inſigniora in abdomine tormina excitavit. Refrigeratio quæcunque malum gravius, fomentationes vero, præprimis regionis umbilicalis, (warme Maagen-Steine öfters aufgelegt,) dolores mitiores reddiderunt. Poſt appetitus deiectus gravem hunc affectum eſſe, graviorem vero, imo malignum, febris complicatio ſignificavit, quod iam ab Hippocrate obſervatum legimus aphoriſm. L. VI. aph. III. ibi enim ait ἐν τῇσι μακρῇσι δυσεντερίῃσιν αἱ ἀποσιτίαι κακόν καὶ σὺν πυρετῷ κάκιον. In longis dyſenteriis inappetentiæ malum, & cum febre peius. Porro virium cum prima mali acceſ-

ſione

sione summa prostratio utplurimum funesta fuit. Ita & illi, qui hausto dysenteriæ contagio, atrocibus cruciatibus mox torquebantur, erumpente postea largissimo sudore, sub eadem torminum atrocia & excretionum per inferiora parciori successu, nausea vero & vomendi conatu maiori, vix evaserunt. Tandem, quæ dysenteria antea cum febre continua erat coniuncta, deinde febri hæmitritæa, vel corrupta alia stipabatur, funestum utplurimum exitum sortita est, vel saltim in lentam hecticodeamque febrem cum tumoribus œdematosis transiit. Deniq; si descensus potulentorum sonorosus, musculorum œsophagi paralysin denotans, accedebat, vel partes externæ per aliquot dies gelidæ certissimo inflammationis præsentis indicio conspiciebantur, pessimum fuit imo lethale indicium.

§. XVII.

Adfectu ergo hoc propter subtilem & summam nocendi facultatem ita noxio & periculoso existente, multi sane multa tentarunt, ut talia invenirent adminicula, quibus ferociori eius decursui habenas iniicerent. Plures vero caussarum huius mali eiusque genuinæ indolis inscii, molimen salutare naturæ, eo directum, ut miasma acre biliosum fermentativum strenue e corpore eliminaretur, pro causa ipsa morbifica agnoverunt, hinc omnem in materia medica adstringentium nec non opiatorum apparatum conquirentes, materiæ noxiæ & contagiosæ excretionem sistere studuerunt.

§. XVIII.

Infaustum vero eiusmodi tentamen non mo-

do a Medicis prudentioribus rem rectius æstimantibus agnitum, sed ex sana etiam theoria medica proscriptum est, utpote qui morbi indolem penitius introspicientes & accuratius agnoscentes, caussam mali in materia acri, biliosa subtili, fermentativæ indolis consistere, eo unice intenti fuere, ut obtusis eius materiæ principiis acrioribus, biliosis ipsa demum debita abstersione pro varia naturæ intentione, partim per alvum, partim etiam per cutis transpirationem, eliminaretur. Hinc etiam in sontico illo statu quando alvinæ excretiones suppressæ sunt, suadent usum clysterum ad eas denuo invitandas admodum utiles.

§. XIX.

Duplex autem in medendi methodo respectus habendus est, qui in huius etiam dysenteriæ recta tractatione locum habuit, nimirum num illa benigna sit, vel maligna existat. Benignam quod attinet, eo præipue medentis animus directus sit ut I. si ventriculus impuritatibus ex diæta incondita collectis repletus videtur, illæ quantocyus per congruum aliquod remedium, quale est Ipecacuanha, præsertim in morbi principio & subiectis viribus nondum exhaustis, removeantur. Præscribitur hæc radix, quæ specifici effectus esse dicitur, ad drachmæ dimidium, & altero die, pro morbi & subiecti conditione repetitur. II. ut materia corrupta, acris, putrescens, acri & fermentativa sua indole partium texturam lædens involvatur, temperetur & abstergatur. Conducunt hic varii generis remedia, absorbentia selectiora, pilul. balsam. clyster. ex furfuribus

bus tritici, fl. cham. vitell. ovor. ſero lactis, ſevo hircin. compoſiti, præcipue vero rhabarbarum in ſubſtantia, tanquam remedium tutiſſimum & multiplici experientia probatum tempore matutino exhibeatur & per plures dies eius uſus repetatur. III. Spaſmi leniantur per ſatis tuta & ſelectiora anodyna, qualia ſe comprobarunt theriac. Androm. ad ſcrupulos II. MP. de cynogl. gr. j-ij cort. caſcarill. aliis remediis mixta & veſperi propinata. His ſociari poteſt pro eadem intentione aquæ, ut vulgo vocant, reginæ Hungariæ, linteo duplicato calide infuſæ ad regionem umbilicalem applicatio, vel aliud eiusmodi remedium, quod dolorum atrociam ſine aliquo damno lenit. Vnde remedium, quod multis ex uſu eſt, oleum nempe amygdalarum dulcium, niſi acerba adſint tormina, non facile dandum, ob atoniam quam inducit, cum ſpiritu vini datum non ſedat, ſed auget dolores. Idem iudicium de oleo olivar. cum ſaccharo & ſpiritu vini vel aceto mixto ferendum, quod licet nonnulli cum euphoria adhibuerint, peſſimum tamen inde effectum notavi in ægro 30. annor. temperamenti ſanguin. melanchol. qui fluxu dyſenterico corripiebatur, impatiens autem oleum olivar. cum ſpiritu vini & aceto deſtillato, mixtum ingurgitavit, ſæpius repetendo, quo etiam fluxus demum ceſſavit, ſenſit autem duritiem in hypochondrio ſiniſtro ſummopere dolentem, & illo tempore, quo dyſenteria ceſſavit, diarrhæa cum teneſmo excruciavit, dolore in hypochondrio ſiniſtro indies increbeſcente, auxilium carnificis cuiusdam quæſivit, qui axungiam cani-

ninam & alia evporista medicamina propinavit. Sistebatur demum diarrhæa, dolor autem augmentabatur, febris lenta cum phlogosibus accedebat, in hecticodeam transiens. IV. Si dolorum cruciatus mitiores redduntur & cum viribus redeuntibus deiectiones minuuntur, robur partibus concilietur, quo variæ remediorum compositiones aromaticorum, stomachicorum, quale est miva cydon. roob fructuum sorbi, nec non vinum Pontac, Hungariense & Canariense, spectant. V. Denique æqualis humorum partim per moderatum calorem, partim per lenia diaphoretica promoveatur distributio, ne per novum contagii ad intestina decubitum, malum eo gravius recrudescat, sed potius per lenem transpirationem sensim atque sensim eliminetur.

§. XX.

Maiorem vero ac benigna dysenteria febris dysenterica meretur attentionem, in qua iterum duplex scopus partim ad alvi fluxum, partim ad febris legitimum decursum respiciens, observandus est. Vtrumque impetratur, si principalissima cura febri impenditur, quæ si legitime tractatur, alvi fluxus cum reliquis symptomatibus facile cessat. Gravissime ergo impingunt, qui vomitoriis & purgantibus materiam peccantem evacuare intendunt, quæ omnino dissuadenda sunt, maiorem enim seri acrionis & contagii ad intestina afluxum invitant & loco sperati levaminis malum exasperant. Sufficit contagii acrimoniam & inprimis viis & sanguinea massa præsentem corrigere, obtundere & leniter abstergere, positivam vero excretionem magis ad corporis superficiem dirigere, quo seri acrioris ad intestina affluxus ab iisdem avocetur & ad halituosam superficiei corporis excretionem invitetur. Priori corrigendi & abstergendi intentioni quadrant remedia absor-

ſorbentia polychreſtis laxantibus maritata v. g. ocul. cancr. præparat. cum rhabarb. matr. perl. cum pil. balſam. mixta, nitro iisdem parca doſi addito. Poſteriori vero conveniunt eadem abſorbentia cum diaphoreticis fixis & parciore nitri doſi coniuncta, nec non aquæ diapnoicæ v. g. ſcord. ſcorz. ſcabioſ. cich. fl. galeg. &c. cum eiusmodi pulveribus exhibitæ, conceduntur maxime eſſentiæ alexipharmacæ temperatæ vincetox. pimp. alb. ſcord. quæ pulveribus & potionibus inſtillari pro rei neceſſitate poſſunt.

§. XXI.

Symptomatum etiam habeatur ratio neceſſe eſt, quæ fide dignis & experientia probatis anodynis mitigari poſſunt, intrinſecus pulvere ex Maſſa Pilul. de cynogl. cum corall. & caſcaril. parato, extrinſecus fomentis, linimentis & epithematibus calidis nervinis v. gr. Aqua regin. Hungar. linteo excepta & calide impoſita vel ſpiritus vini camphoratus aut ſimplex rectificatiſſimus cum oleo menth. recte abdomini & balſam. Scherz. ſcrobiculo cordis applicatus. Non parum huc confert potus ſufficiens, quia graviter ſitiunt. Poteſt vero pro potu ordinario exhiberi emulſio amygd. dulc. cum decocto avenaceo parata vid Crat. Conſ. 12. ita & ſerum lactis dulce ſecundum inventionem Illuſtr. D. Præſidis vel lac cum aqua Selterana mixtum, de quo Illuſtr. D. Præſes notabile in ægris levamen obſervavit. Fortis *Conſult.* cap. II. p. 245. in dyſenteria, modo non adeo vehemens adſit febris, adhibere iubet ſeri lactis uncias decem, quatuor horas ante cibum, quod Hippocrat. adfirmavit. *Probatæ* etiam efficaciæ eſt decoctum avenaceum cum pedibus vervecinis copioſo potu aſſumtum, vel etiam per clyſteres infuſum. In diarrhæa knilioſa cum ſiti exquiſitiſſima præſcripſit Rive-

rius sal prunellæ in potu ordinario *Cent.* I. obs. 33. sed cautela opus est.

§. XXII.

Requiritur vero etiam debita in lecto continentia, qua transpiratio mali solutionem maxime perficiens admodum fovetur, inquieta vero in lecto iectigatio eam impedit & symptomata auget. Hinc ad alvum evacuandam satius est supponere instrumenta, quam surgere, quia non modo plantæ pedum facile refrigerantur, sed turbatur etiam continentia & diapnoica excretio. In benigna vero dysenteria sufficit, quando ægrotus vestimentis laxioribus (mit einen Schlaff-Rock) & tibialibus tectus est, ne refrigerationem propter frequentem surgendi necessitatem patiatur, & pro eadem intentione vasi excrementa excipienti aqua calida infundatur. Vires etiam cum in hoc affectu prostratæ sint, remediis diaphoreticis jungantur analeptica, tinctura corall. & subacida, aqua cinomom. cydon. mixtura simplex &c. Denique sub declinatione huius mali conferunt roborantia & partium debilitatarum tonum restituentia, qualia sunt ex vegetabilibus radices ac herbæ amaræ & aromaticæ, rad. galang. zedoar. gent. rbr. herb. absynth. C. B. cent. min. scord. &c. cort. aurant. e quibus essentiæ, electuaria, infusa & alia parari possint, quæ huic intentioni satis congrua existunt.

§. XXIII.

Quæstio inter Practicos agitatur, num in hac febre vel etiam in dysenteria benigna venam secare liceat? ubi adfirmativæ sententiæ negativa omnino præferenda, nisi in primo statim morbi principio circumstantiarum peculiaris ratio eam permittat. Recenset Amatus Lusitanus *Cent.* II. obs. 48. exemplum Abbatis obesi, temperamenti sanguinei, multo vini potui dedi-

ti,

ti, dysenterica febre laborantis, qui a sola V. S. in brachio & sanguine ad uncias quinque, misso melius habuit & paucis adhibitis remediis, intra paucos dies restitutus. Sydenham eodem forsan fundamento innixus venam cubiti in principio dysenteriæ secare iussit. Vid. oper. p. iij Confer. etiam Riverius Cent. ij. obser. 37. de V. S. Nec minor de vomitoriis est disputatio, quae non nulli tanti faciunt, ut sine iisdem dysenteriam curare nolint. Illud tamen certissimum est, quod in statu morbi summo & præsente ad inflammationem dispositione, magis noxam inferant, quam proficua sint: principio vero, quando ventriculus cruditatibus turget, licet deiectiones cruentæ adsint, radix ipecacuanhæ ad dimidium drachmæ cum oculis cancrorum, mixta & exhibita, imo altero die repetita, in subiectis robustioribus observatur proficua, & sedes reddit longe parciores.

§. XXIV.

De nitri usu notandum est, quod circumspectus esse debeat. Si calor & æstus in febre urget gr. j. ij. pro dosi pulveribus, diaphoreticis vel eiusmodi etiam potionibus multa cum utilitate addi possunt: Contra vero, si partes iam præsumuntur excoriatæ, usus eius consultius omittitur, ne tormina iam summe dolorifica magis exacerbentur. Nullo autem modo in eiusmodi excoriationibus ex quorundam sententia herbæ vulnerariæ proficuæ sunt, ex quorum usu potius maximas anxietates provenisse Ill. D. Præses observavit. Tenesmus si urget, febre clysterum usum concedente, mucilago sem. cydon. ad unciam unam clysteri ex furfuribus tritic. fl. cham. vitello ovor. & sevo hircin. cum sero lactis composito addi potest. Vel etiam fotus & vapores in anum suscepti ex fl. sambuc. cum aqua decoctis eximium levamen

vamen adferunt, vid. Pelarg. p. 37. anno 1722. vel etiam lateres calidi ægrotis subiecti tenesmum sedare testatur experientia. Vini potus moderatus, quem etiam §. 27. commendavimus, in febre hac non interdicendus, sed suadendus potius est, sed vinum sit nobile & generosum necesse est, crudum enim & acidum nocet. Specifica denique quod attinet magnus omnino eorum est apparatus, quæ multis præclaris nominibus efferuntur, sed raro decantatis elogiis in praxi respondent. In his est crystallus montana, quæ præ reliquis absorbentibus nullum specificum effectum comprobavit, præsertim si malum ortum sit a contagio, in deiectionibus vero viridescentibus ab acrimonia acida ortis, cum cascaril. egregius eius usus est, Bontius de medicina Jndor p. 128. crocum ceu verissimum antidotum æstimat, & notat, non posse ullum excogitari humana industria exquisitius. In quantum vero hoc eximium de croco prædicatum veritati congruum existat, ulteriori Medicorum observationi & experientiæ rerum optimæ magistræ commendatur & veritas inclarescet.

